

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0484

0482

0488

0478

0493

0473

0533

0433

0583

0383

0983

Ende

Anfang

470

aliqua continens ibi veniret, statim magnes propter ferrum
navem attraheret et illideretur navis in scopulos et frangere-
tur. Est enim magnes mirabilis raptor ferri. Si cui placet
legere, videat in Speculo Nat. L. XX. C. 20.

Sunt etiam in plerisque locis orientis petrae illius naturae,
ut homines transire volentes attrahant ad se, sicut magnes
ferrum; migrantes autem post tractum rident et jubilant et
illisi saxis pereunt. De his loquitur Consiliator Doctrinae 67.
et dicit, quod propter hujus impedimenta non potest homo
pervenire in oppositam nobis regionem, etiamsi immensitas
oceani non impediret.

Dixit nobis frater Nicodemus, quod monachi S. Catharinae
habeant partem thelonie cum Soldano rege Aegypti, quod in
hoc portu de navibus oneratis tollitur et juxta littus habent
hortum magnum palmarum, de quibus tot dactylos colligunt,
quod eis per annum sufficient et majorem partem fructuum
vendant.

Ultra maris gulsum a meridie descendendo contra occi-
dentem vidimus altissimum montem, quem nominant Olympum
Aethiopiae, ad differentiam Olympi Macedoniae. Hic mons
in ortu solis flamas de se emittit horribiliter quinque horis.
Ab hoc monte incipit Aethiopia, quae olim dicebatur Atlanta,
et terminatur ad Nili flumen. Est autem terra lata valde,
producens monstruosos homines et bestias mirabiles in suis
desertis. Quidam enim solem orientem et occidentem dira
imprecatione intuentur et semper soli irati maledicunt propter
afflictionem caloris. Ibi currunt satyri adeo hominibus
aequales, ut aestimentur homines esse, quamvis non sint, et
multa mirabilia sunt in illa regione. Huic contermina est
Lybia, regio magna Africæ, et Aegyptus.

De hinc contraximus visum et a remotioribus locis in
campum desertum fiximus, qui est inter montem Synai et
mare rubrum, ejusque latitudinem et vastitatem mirati sumus.
Dixit autem nobis frater Nicodemus, quod in istis campestri-
bus esset quoddam monasterium sanctorum virorum, quod
modernis temporibus nemo potest invenire, quamvis campana-
rum pulsus ad omnes horas canonicas audiatur cottidie. Non-
nulli ex fratribus monasterii sanctae Catharinae conati sunt

